

# N O R V V E G I A

&

# S V E C I A

PRIMUM & SECVNDVM ARCTOI

ORBIS REGNV M.

**O**rbis Arctous, quem Scandiam & Scandinaviam veteres, officinam gentium & vaginam populorum incomperatæ magnitudinis Plinius appellat, vicinus extremo ad boream Germaniæ littori, in tria Regna Norvvegia, Sveciæ & Daniæ multis iam seculis distinctus est. Huius peculiare olim regnum Norvvegia fuit: quæ nunc Daniæ Coronæ subiecta, ab eadem suos Præfectos accipit. Dicta autem est Norvvegia quasi septentrionis via. Eius regiones sunt amplissimæ ac vastissimæ, sed montibus, solitudinibus & rupibus aspera, magnaq; ex parte sylvis piniferis inuia. Quinque in ea in vniuersum hoc tempore sunt arces Regiæ, totidemq; Præfecturæ præcipuæ: quarum Prima & extrema versus meridiem est Bahusia 33:12.59:26. Ei sunt subiecta oppida, Märstrand in peninsula scopulosa situm, & halecum piscatura nobile 33:15.59:30. & eo obscuriora Koongesf, Congel forte prope Bahus & Oddevold 33:12.60:52. nisi sit Odvrad. 33:4.60:0. Secunda arx est Aggerstrusia, in cuius provincia celsissimi mali nauium, & asseres querni & abiegni lignaque ædificijs idonea ingenti copia in Hispanias & alias gentes quotannis euehuntur. Oppida huic subijciuntur Anstioia Episcopi sedes 32:4.60:26. Tonsberg seu Koningsberg, Fridrichstad, Saltzburg & Schin vel Schon, vbi fodine cupri & ferri sunt, item Hammaria maior & minor 32:0.61:22. regiones olim Episcopo clara, nunc Anstioensis inspecti oni commissa, & sinu Mosiano interlabente diuisa. Tertia arx est Bergerhusia, sub ea sunt Berga 27:14.62:4. & Staffanger 27:14.60:22. ciuitates. Est autem Berga totius Norvvegiæ emporium & horreum. celeberrimum, Præfecti Regiæ Episcopi sedes. Ibi piscis ille nobilis & delicatus venditur, qui secundum littus Norvvegiæ captus, piscis Bergensis dicitur, propterea quod inde in multas regiones à Mercatoribus distrahatur. Sunt ibi Vandalicarum & maritimarum ciuitatum famuli, qui cum ibi mercandi causa totum annum perdurent, partem vnam vrbs occuparunt, quam partem incolæ pontem, sed exteri tabularium suum vocant. Hi Mercatorum famuli magna cum incolis quotannis commercia exercent, quæ aliquot tonnas aureorum excedant, sed tamen eorum negotiatio illic quotidie minuitur, nec est hodie tanta ac ante annos quadraginta fuit; nam incolarum industria quotannis crescit & augmentum accipit, ita vt non solum sua negotia domi facile tractent, verum etiam foris abunde & accuratè vicinis regionibus necessaria subministrent. Staffanger ciuitas etsi eundem cum Berga Præfectum habeat, suum tamen peculiarem habet Episcopum ibidem residentem. Quarta arx est Nidrosia à Nidero fluuio & Rosa, quod templi nomē est sic dicta, vulgo Trundheim 34:0.65:22. Sedes olim Archiepiscopi & Regni Norvvegiæ, amplissimè patentem diocesim habet, in qua plurimus piscis Bergam, postea ad emporium diuectus, & pelles preciosæ colliguntur. Quinta & vltima versus arctum Norvvegiæ & orbis Christiani arx est Vvardhusia 55:30.62:0. parua in insula VVarde, ipsa quoq; parua & obsoleta hoc tempore insistens. Quæ nulla singulari munitione ac ne turri quidem vel castello insignis, oppidulum tamen adiunctum habet, quod piscatorum casæ stant. In hac arce seu potius casa Præfectus Regiæ æstate habitat, & amplissimum illius littoris Norici tractum in Zona frigidavsq; ad Russiæ fines gubernat.

## S V E C I Æ R E G N V M

**N**orvvegiæ ad orientem adiacet Suecia, quæ per indigenas & domesticos Reges fortiter et fideliter defensa & amplificata cum aliquot seculis esset, tandem ad Daniæ Reges deuenit: sub quibus annis amplius centum, iam aliquantisper obtemperans, iam eisdem prætextu non seruatarum Legum in coronatione iuratarum excutiens, mirum in modum fluctuauit. Hodie autem ad suos indigenos iterum descendiit & ex illis sibi Regem constituit. De eius solenni creatione, sic scribit Olaus Magnus lib. 8. cap. 1. Gloriosa maiorum constitutio, nomine municipalium successiuis seculis & generationibus tradita in sui exordio præcipit, vt incolæ Regem electuri in Suecia, Senatores ac proceres nuntijq; omnium prouinciarum, communitatum ciuitatumque Regni prædicti conuenire teneantur, in Archiepiscopi ciuitate Vpsalensi 40:30.60:52. vnde non procul est lapis campestris, amplius ab Incolis MORASTEN appellatus, in circuitu duodecim continens lapides paulo minori forma humi firmatos: in quo loco prædicti Senatores seu Regni consilarij ac nuntij confluere solent. Ibidem ex Senatu præcipuus orator circumspectè proponit, quam necessarium sit pro Regni, omniumque Incolarum libertate, in vnum Regem & principem consentire, prout à maioribus supra talem lapidem,

XVIII

SVECIA ET NORVEGIA cum confinis



Miliaria Germanica communia  
Per Gerardum Mercatorem Cum privilegio

dem, qui firmitatem signat, pro identius fuerat obseruati, omnes exhortans vt libero quem velint voto, quantocius ex nomine prosequantur. Nec mora prolixam interuenit. Qui bonum publicum, regniq; gloriam, pacem & concordiam semper tueri visus est, qui priuato regimine nullum laeserat: qui victor in bellis frequentius fuerat: qui totius populi iustè vii endo fauores sortitus est: qui legis & religionis amator est: is omnium nuntiorum prouincialium consensu, Rex appellandus eleuatur: eo tamen respectu, vt si filius Regis, frater aut consanguineus, prædictas virtutes habuerit, non hereditatis, sed electionis iure cæteris omnibus anteferatur. Et cum hæc fecerit populus, non tolerat alium sibi Regis honores vindicare. Rex autem ita à populo declaratus, in leges patriæ vicissim iurare cogitur. Subdiri eius, vt in alijs regnis, partim Ecclesiastici partim Laici, eiq; aut nobiles aut plebei sunt. Inter nobiles summus est Eques auratus, à Rege virtutis ergo solenniter creatus. Præfecturæ per indigenas administrantur. Est & ibi Marschallus, Cancellarius & senatus Regni. Prouinciæ autem huius Regni aliæ Gothica, vt OstGothia cuius Lincopiæ metropolis 38:33. 59:30. VVestGothia Lacu vetere ab orientali seiuncta, cuius Scara Episcopi sedes 34:56. 59:52. Australis Gothia seu Smalandia, Tuiscia, Verendia cuius Vexio 37:11. 57:56. præcipuum oppidum est. Moringia & insula Oelandia arce Borgholm munita: aliæ Noricæ seu Suecicæ sunt vt Oplandia cuius Vp-falia 40:30. 60:52. & Stockholmia 41:34. 60:19. metropolis. Stockholmia in insula sinus Meleri condita, hoc tempore sedes & arx præcipua totius regni, emporio frequenti & celeberrimo nobilis est. Aditus ad eam ex mari Eoo per angustas fauces Meleri profundissimo alueo patet. Vtrumque turris VVaxholmia & è regione Digna, ita ingressum arctant, vt inuitis Regijs præfectis, ibidem excubantibus nullæ ingredi aut egredi naues possint. Meridiana Meleri ripæ Sudermannia oppida Telgo 40:34. 60:15. Strengenes 40:0. 60:30. Episcopi sedes & arx Griphisholmia adiacent. Nericia Orebo 39:4. 60:30. arx præcipua est. Occasum versus VVesmannia regio & vrbes Arosia 39:30. 61:0. & Arboga 39:4. 60:37. lacui incumbunt. Inde versus occasum æstiuum Dalia occidua, eoa & Solies Dalia à lacu Solion sic denominata, iacent, quæ tres prouinciæ vna cum maiore parte montanarum prouinciarum, sub Episcopi Sarosensis inspectione continentur. Ibi venæ minerales, quæ ortum versus ad mare Balticum, & sinus Helsingia & Giosenses sese extendunt, occasum versus per VVermelandiam ad oceanum occidentalem ferè nusquam interrupta, quin ibi metalli aliquid, argenti, cupri, plumbi, ferri, calybis siue sulphuris effodiatur, porrectæ sunt. Oplandia versus boream finitima, Gestrucia, inde Helsingia, post Middelpadia vltè Angermannia borea & notia. Inde NortBotnia in VVestBorniam & OstBotniam diuisa, longo terrarum tractu diffusæ prouinciæ. Tandem boream versus Scricfinnia, Lapponia, Biarmia. Has propria Regni Suecorum prouincias antiquas, plerasque sinus Botnicus ex Baltico in boream recta Toroniam, & vltra circulum arcticum porrectus à Finlandia amplissima peninsula dirimit: cuius apicem Alandia insula versus meridiem & Abo 45:30. 60:34. Episcopi sedes, at versus boream VViburgum 55:58. 63:6. tenent. Diuiditur Finlandia in notiam & boream, quibus Natagundia superior & inferior, Sauolofia, Tauastia, Finnonica regiones latè patentes adiunctæ sunt. Inde trans Finnicum sinum, Corelia cuius Hexholm Kexholm forte 58:2. 62:17. metropolis est, & meridiem versus VVotichonia, in qua Louati fluminis Nouogardiam allabentis, quæ Ny accola vocant, ostium: supra Coporam Ingria, cuius Iamagrod 52:30. 60:36. & Solonscia cuius Iuanogrod è regione Nerua, arces sunt præcipuæ. His contiguæ versus meridiem sunt Liuonica Esthonorum prouinciæ, à Nerua ad Reualiam 49:0. 60:12. & Pernouiam vsque pertinentes. Allantacia, cuius Nerua: VViria, cuius VVesenberga, VVichia cuius Habsfal 48:0. 59:56. Episcopi sedes & insula Dagen. Quæ regiones trans Finnicum sinum pleræque omnes, Iohannis tertij Regis virtute ac felicitate regno Suecorum nostra memoria anno 1581. primum accreuerunt, cum Reualia sponte Erico XIII. Suecorum Regi se subiecisset, anno 1561. Hac Dauid Chytræus.

Medius meridianus 47:0. ad quem reliqui inclinatur ratione 62:0. & 68:0. parallelorum